

Conradi de Strelis quondam praepositi Missnensis et medium talentum pro anniversario supradicti domini Alberti Knüt praepositi Budissinensis, quando eundem ab hac luce migrare contingerit, debeat ministrari; ad tempora vero vitae suae praedictum medium talentum suis usibus poterit applicare. Et is cui ministratio anniversariorum praedictorum per capitulum praedictum fuerit iniuncta, pullos et ova praedicta pro suo labore obtinebit. Nos igitur petitionem praefati domini Alberti iustam, piam et deificam considerantes, ipsius precibus inclinati, praedicta duo talenta ad manus nostras sic resignata de consilio et consensu capituli nostri ipsi domino Alberto nomine capituli et ecclesiae Missnensis contulimus et in possessionem eorundem mitti mandavimus, et quantum in nobis fuit misimus et induximus, incorporantes, unientes, donantes et appropriantes eadem duo talenta cum omni iure, utilitate et fructu, quo dicta Sophia ipsa a nobis in feudum tenuit, capitulo et ecclesiae memoratis, approbando, ratificando atque confirmando dispositionem aut ordinationem talentorum praedictorum circa anniversaria praedicta nostram tenore praesentium auctoritatem interponendo. In quorum omnium testimonium praesentem litteram scribi fecimus et nostri sigilli appensione muniri. Datum et actum in villa Luben prope Dresden anno domini M^o.CCC^o.XLIX^o. die dominica proxima ante festum nativitatis beatae Mariae virginis praesentibus nobilibus viris dominis Ottone dicto Juvene nec non nominato Wirt, dictis de Dony, strennuis Henrico de Schirin seniore, Schaczslao et Johanne fratribus dictis Kûchmeyster, honestis Johanne monetarii de Kottow, Wynando dicto Cygeler cive in Dresden testibus, et aliis quam pluribus fide dignis.

Et nos Withego de Coldiez praepositus, Henricus de Gubyn decanus, Johannes de Strelis archidiaconus Lusatiae, Hermannus de Wolficz archidiaconus Nysicensis, Tammo de Luppia praepositus Haynensis, totumque capitulum ecclesiae Missnensis praedictae incorporationi, unioni, donationi et appropriationi, ordinationi et dispositioni suprascriptis nostrum expressum exhibuimus consensum et in horum testimonium sigillum nostri capituli praesentibus duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; die Siegel des Bischofs und des Capitels, beide mit Rücksiegel, an Pergamentstreifen.

No. 451. 1349. 16. Oct.

Der Probst Withego verurtheilt drei Meissner Bürger zu Zahlung des von einigen ihnen zustehenden Grundstücken zu leistenden Jahreszinses an die Decanal-Vicarie.

In nomine domini amen. Nos Withego dei gratia praepositus ecclesiae Misnensis cognoscentes et examinantes causam, quae vertitur inter dominum Fridehelmum perpetuum vicarium ecclesiae Misnensis praedictae actorem ex una, nec non Hosemannum et Peczonem circa Albeam, et Nycolaum textorem reos parte ex altera super censu videlicet decem solidorum Vribergensium denariorum, de horto sito ex opposito ecclesiae sancti Nicolai trans ripam Tribesz ac de censu videlicet trium solidorum Vribergensium denariorum praedictorum de horto secundo, sito in novo foro a scola Judaeorum contra Albeam. Petitione proposita dicti actoris, lite contestata, testibus productis et legaliter receptis et examinatis et dictis eorum publicatis, instru-